

tem adscribimus. Hæc enim uti pro maximâ suâ vi, quâ pollent, frigefaciendô, humectandô, aliâque plura præstandô, in hæc inferiora influunt; ita varia quoque è globo terraqueo extrahunt effluvia (aquea) ex quibus, ut Solis imago recipi possit, istam nubem condensari dicimus. Ita tamen, ut *sidera primariò*; ut *instrumenta verò frigus & ventos* agere, vapores scilicet ad efficiendam nubem cogendô condensandôque, simul asseramus. *Proxima Causa Sol est*, qui seipsum in idoneo capaci que subjecto exprimit.

§. 5. *Subjectum hoc sive Materia in qua, (Materiam enim ex qua non habet, nec habere potest, nec debet, quia accidens) Nubes est, quæ, ex effluviis hinc inde collectis genita, in aère hæret. Hæc autem non est ingens quidam congelatæ nubis annulus, aut coagulata glaciei circulus: quem hîc fingit Cartesius, de Meteor. c. 5. p. 182. seqq. c. 10. p. 234. seqq., & qui cum hoc faciunt Antonius le Grand, Instit. Philos. Part. VI. Art. 14. & Hist. Nat. Part. VI. Art. II. p. 304. Henricus Regius, Fundam. Phys. c. 6. p. 113. 114. 121. & 123. & alii; sed ea, quæ sequentibus conditionibus prædita est. (1) *Æqualis Soli sit*: Si enim inæqualis esset, non uniformem reciperet imaginem. (2) *Splendida*: si enim obscura, elargiri iterum Solis speciem non posset: quia obscuræ & maculosæ nubes faciem Solis non recipiunt, perinde ut in aliis rebus asperis, maculosis atque impolitis hoc fieri videmus. (3) *Continua*: Si enim divulsa, Solis imaginem non integram reciperet, ac præberet. (4) *Densa*: nam si rara, Solis eque formam reciperet, ac præberet. (4) *Densa*: nam si rara, Solis eque formam reciperet, sed statim eandem rursus transmitteret. (5) *Immota consistat*: cum enim hinc inde movetur nubes, propter illam mobilitatem atque inconstantiam non potest in eam imprimi Solis imago: non aliâ ratione, atque in aquâ vehementius motâ imagines rerum disturbantur, ac dispelluntur. Denique (6) *ad latus Solis posita sit*: Si enim sub Sole esset, dissiparetur potius, non autem imagine ornaretur. Ad latus itaque subsistat, & quidem mediocri intervallô. Nam in proximo dissolveretur, & in nimis remotô nihil ea recipere posset: quod vel exemplô Speculi artificialis luculenter patet.*

§. 6. For-